

et quaerendus . . . † . . . unde foret nervosius illud,
 quod posset zonam solvere virgineam.
 egregium narras mira pietate parentem,
 30 qui ipse sui gnati minxerit in gremium!
 'atqui non solum hoc dicit se cognitum habere
 Brixia Cycneae supposita speculae,
 flavus qua molli praecurrit flumine Mella,
 Brixia, Veronae mater amata meae;
 35 sed de Postumio et Corneli narrat amore,
 cum quibus illa malum fecit adulterium.
 dixerit hic aliquid: "quid? tu istaec, ianua, nosti,
 cui numquam domini limine abesse licet
 nec populum auscultare, sed hic suffixa tigillo
 40 tantum operire soles aut aperire domum?"
 saepe illam audivi furtiva voce loquentem
 solam cum ancillis haec sua flagitia,
 nomine dicentem quos diximus, utpote quae mi
 speret nec linguam esse nec auriculam.
 45 praeterea addebat quendam, quem dicere nolo
 nomine, ne tollat rubra supercilia:
 longus homo est, magnas cui lites intulit olim
 falsum mendaci ventre puerperium.'